QVÆSTIONES MORALES
DE
CANONICATIBUS
ET
SIMONIA
EXPOSITÆ
à
M. JOANNE REDEKERO
SUPERINT. MUNDERENSI
ET
Quondam in Colloquiis ſacris Paſtorum Inſpectionis Münderenſis examinatæ.

GOTTINGÆ,

Sumptibus Joachimi Heinrici Schmidii.

Typis Johannis Christophori Hampii Anno 1682.

Proverb. XX. 25.

Laqueus eſt homini devorare ſanctitatem (*.h e. rem ſacram, Deo dicatam*) & poſtea quærere vota.

Eccleſ. X. 8.

Qui perrumpit maceriam, ut ſc. ingreſſus alterius hortum inde aliquid capiat, mordet eum ſerpens, qui prope ſepem habitat.

QUÆSTIONES MORALES
DE
CANONICATIBUS
ET
SIMONIA.

I.

Num Simoniæ crimen committit, qui Canonicatum vendit & emit?

℟. Beneficia Ecclesiastica, id est, illa bona, quæ Canonicis in finem spiritualem, nempe animarum salutem & Dei honorem olim attributa fuerunt, sine Simoniæ crimine cum re temporali permutari seu vendi & emi non possunt: quia sacrilegii quædam species est, illa bona, quæ Deo, id est, cultui divino & ministerio divino docendi verbum divinum & sacramenta administrandi dicata & consecrata sunt, vilipendere, & in illa potestatem sibi sumere emendi vendendique,

dendique, seu alio modo cum re temporali permutandi. *V. Carpz. Jurispr. Eccl. lib. 2. tit. 19. defin. 312. p. 886.*

I I.

Nonne vero tantum Simonia seu Simonis Magi crimen fuit, velle dona Spiritus S. seu supernaturalia nempe faciendi miracula pretio emere?

℞. STricte quidem hæc Simonia est: late tamen & bonorum illorum sacrorum indigna illa tractatio Simonia jure vocatur, & pro tali habetur: sicuti enim dona illa gratis data, propterea quod in animarum salutem Deique cultum tantum essent concessa, cum pecunia velle permutare, magna erga Deum contra Religionis virtutem erat irreverentia, sic & bona illa, quæ itidem quidem creata & gratis data, sed in eundem finem sacrum tantum ordinata sunt, ceu rem, quæ in manu dominioque humano est, tractare, similiter irreverentia quædam in Deum est, adeoque naturali & divino juri quoque contrariatur: præterquam quod magna injustitia quædam sit illius venditionem seu tralationem sibi arrogare, quod in potestate & dominio hominis non est, seu pro pretio illud alteri concedere, quod gratis ad utendum fruendumque hominibus Deo sacratis constitutum & ordinatum est. *Vide D. Weber. de jure patron. p. 152.* qui deplorat, hodie Parochias alicujus præstantiæ sine simoniaca largitione non conferri.

Unde

III.

Unde probas, Canonicatuum illa bona seu beneficia esse sacra in finem istum sacrum ordinata?

℞. INde quod Canonici Clerici essent, eorumque Collegia juxta Episcopatus seu Episcopi ædes instituta fuerint, ut sub obedientia Episcopi studiis sacris & officiis ecclesiasticis eo diligentius in animarum salutem incumberent. *Ita legitur in jure Canon. Caus. XII. Quæst. I. c. 1. ex Concilio Toletano: Si qui in Clero impuberes adolescentes existant, omnes in uno conclavi atrii commaneant, ut lubricæ ætatis annos non in luxuria, sed in disciplinis ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum disciplinæ & testem vitæ habeant. Et c. 3. Necessaria res exigit, ut juxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici disciplinis ecclesiasticis vacent.* Et de Consecr. dist. 5. 34. *Canonici Clerici canonice vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam & documenta S.* Patrum*, nil sine licentia Episcopi sui vel Magistri incomposite agere præsumant, in unoquoque Episcopatu ut simul manducent & dormiant, singulis diebus mane primo ad lectionem veniant & audiant, quid illis imperetur.* Et Caus. 16. quæst. 3. c. 2. *Episcopi de facultatibus Ecclesiæ illis stipendia distribuant.* Et Synodi Turonensis Can. 23. *Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopiis conversantur, & in claustris habitantes victum & vestimentum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi per diversa vagari ac turpibus se negotiis implicare cogantur, dimissoque ecclesiastico officio incipiant indisciplinate vivere.* Distinct. 93. c. Dig. *Mendicat infelix Clericus in plateis. Et quidem ex eo despicitur cunctis sacerdotale officium. V. Marc. Anton de Dom. l. 9. c. 7. p. 73 seqq. & D. Conring. de Antiquit. Academ. diss. 3 p. m. 65. ubi commemoratur, Scholarum Episcopalium exordium in Oriente S. Basilium, in Africa S. Augustinum fecisse.*

 Num-

IV.

Numquid eadem ratio fuit Episcoporum & Canonicorum in Germania, quæ fuit alibi?

℞. OMnino: Eodem enim modo Carolus M. aliique Principes juxta Episcopatus Canonicatus in Germania constituerunt & fundarunt, quomodo in aliis Ecclesiis jam ante fundati erant, nempe ut in Collegio illo Canonici ex instituto S. Augustini viverent, scholasque exercerent. *D. Conring. l. c. p. 66. 67.* Qua de re testantur *Ansigisus, Cabilonense Concilium cap. 43. item Crantzii Metropolis. Ex Haymonis III. Episcopi Halberstadensis Homiliis* apparet, ipsum populum adeoque & Canonicos suos docuisse in rebus ejusmodi theologicis, ut hi ad docendum itidem apti essent. *Christoph. Lehmann Chronico Spirensi p. 9. itidem commemorat, Episcopatus scholas olim fuisse, ubi docti fuerint illi, qui postea Ecclesiarum fierent Pastores*: inde & Spiræ Canonicos commune collegium eum in finem habuisse. *Chemnitius* concione, quam Helmstadii, cum Academia introduceretur, habuit, eadem de Canonicorum collegiis perhibet, illa nempe scholas fuisse & initio sub regula S. Augustini in Episcopatibus vixisse, & se *Fratres Canonicos* vocasse, *teste Crantzio Metropol. p. 101.* Cum autem ditescerent Episcopatus, fratres & monachos noluisse vocari, sed *Canonicos regulares & Dominos*, postea vero *Canonicos seculares* se vocasse; Cumque rebus terrenis & voluptatibus se tradidissent, *per Vicarios tantum docuisse*, & sacros actus peregisse, inde studia in Episcopatibus concidisse, exiguamque saltem scholam Episcopatus illos retinuisse. *V. Crantz. Metrop. p. 226. lib. 7. c. 50.* Ita Bremæ, referente *Adamo lib. 2 sub fin.*

combusto

combusto claustro, Canonici fratres, qui ante canonice regula S. Patrum per multa prius secula studiose conservata, vixerant, extra claustrum vagantes primo regulam negligentius habuere, postea prorsus abjecerunt. Leguntur plura de Canonicorum isto officio apud Auctores, (quos laudat *D. Petr. Philip. de canon. c. 5. p. 63. seqq.*) *uti Bedam, Histor. Eccl. lib. 3. c. 3. Martin. Chron. Germ. de Carolo, Vincentium lib. 23. c. 7. Chytraum lib. 2. Saxon. procem. Metropol. Hospinianum de origine Mon. item D. Christian. weber de jure Consistoriorum c. 18. p. 129. D. Conring. de Antiq. Acad. diss 3. p. 84. & seqq.*

V.

Num omnia Episcopatuum bona sunt sacra & Ecclesiastica, an vero quædam temporalia seu secularia?

℟. Bona quædam Episcopatibus ad Ecclesiæ necessitatem & conservationem ac propagationem concessa sunt, sine quibus Ecclesiæ consistere, nec earum ministri honeste sustentari possunt, alia vero bona illis sunt superaddita, quæ temporalia & Imperii feuda sunt, quibus secularis potestas & jurisdictio conjuncta est. *V. Henric. Brosenium lib. de bonis Ecclesiæ c. 11. p. 11. seqq.* Ita præter alios Comitatus, Peinensis Comitatus Episcopatui Hildesiensi accessit, *narrante Crantzio lib. 8. Saxon. cap. 28. p. 603. 604.* Ejusmodi bona semper manserunt temporalia, & retinuerunt naturam & qualitatem feudorum Imperii, cujus oneribus hodieque publicis subjiciuntur. *Cl. D. Conring. p. 124. de pace perpetuanda ait, sola illa bona, quæ proprie proximeque sacris usibus inserviunt, vim & essentiam sacrorum bonorum tenere: Nec vero Prin-*

re Principatus & Comitatus aptos esse, ut singulatim Deo devotis sacris bonis annumerentur; etsi plerique eorum istac lege Clero concessi sint.

V I.

Quando itaque secularis potestas & jurisdictio Episcopis & Abbatibus à Cæsaribus est tributa?

℞. *Crantzius quidem Saxon. lib. 11. c. 23. p. 124.* scribit Carolum M. regalia illis donasse. Cui assentitur D. *Petrus Philip. cap. 6. de Canon. in spec. p. 89.* Verum potior videtur esse sententia illorum, qui existimant, imperante Ottone I. primum illos istam potestatem in Germania maximam partem adeptos fuisse, quod ante illud tempus ea potestate communiter usi non sint. Et *witekindus Corbeiensis* tanquam novum & insolens istius temporis commemorat, Ottonem I. fratri suo Brunoni una cum Archiepiscopatu Coloniensi secularem contulisse potestatem, filium item Wilhelmum Archiep. Moguntin. & Principem Hassiæ & Thüringiæ fecisse: quod pluribus exemplis & testimoniis confirmatur à *Christoph. Lehm. Chron. Spir. p. 273.* Etsi alicubi jam ante illud tempus quidam Episcopi Principes seculares simul facti fuerint; teste enim *Socrate lib. 7. c. 7. Alexandrinus Episcopus tempore Theodosii Junioris præter Cleri dominatum rerum præterea secularium principatum acquisivit.* Idem Socrates *lib. 7. c. 11.* de Romano Episcopo quoque scribit, *illum extra Sacerdotii limites egressum, delapsum fuisse ad secularem Principatum. Christoph. Lehmannus & illos Episcopos, qui secularem sibi usurparint potestatem, tum in Oriente tum in Occidente*

post

post Ludovicum Pium circa Annum 814. cœpisse p. 9. seqq. scribit. Vid. D. Conring. de antiquo statu Helmstadii p. 139. seqq. (Lites vero Laicorum civiles videntur terminasse Episcopi more veteris Ecclesiæ in Germania consensu Imperatorum, ut arbitri potius quam ut Judices. Vid. Conring. disp. de Judiciis Germ. c. 34. 35.)

VII.

Num bona semel Deo dicata, ut alia bona temporalia, si accedat Magistratus aut Reipublicæ autoritas, vendi aut ad secularem statum reduci possunt?

℟. Bona illa, quæ propriè sacra non sunt, ut e. g. tot Principatus, Comitatus, cum Jurisdictione seculari, quibus Respublica sine suo maximo detrimento carere non potest, nunquam sacra fieri, id est, sacris rebus & personis devoveri & à civilibus usibus arceri aut alienari possunt, (etsi per errorem eo fine Episcopis fuerint donata) adeoque sine vitio Simoniæ vendi aut alias ab Ecclesia separari possunt: Propriè dicta autem bona ecclesiastica seu sacra, (nec cum consensu Magistratus, nisi in summa necessitate,] emi aut vendi non possunt.

VIII.

Quæ vero in finem superstitiosum e. g. Missarum celebrationem, redemptionem animarum è Purgatorio Ecclesiæ donata sunt, nonne propterea in secularem statum revocari adeoque recte vendi possunt?

℟. Negatur, quia veterum illorum Testatorum seu

Fundatorum principalis finis fuit animarum salus & Dei honor; etiamsi itaque erraverint in fine minus principali, non tamen propterea pia ista dona seu legata caduca fiunt aut ad prophanos usus converti possunt, sed nihilominus ad alium pium usum applicanda sunt. *Laym. Theol. mor. lib. 3. tract. 5. cap. 11. p. 496.* E. G. Si quis pia intentione nempe in honorem Dei aliquid det aut promittat pauperibus, quos existimet per errorem esse catholicos & revera egenos, non potest eleemosyna ad prophanum usum revocari, quod illi catholici & egeni revera non fuerint, quia principalis ejus intentio fuit honor Dei. *Laym. lib. 3. tract. 4. c. 5. p. 380.* Etsi dans ita animo constitutus sit, ut non daret, si fraudem cognosceret, non tamen ita comparatus esse creditur, ut nolit dominationem sustinere, aut rei donatæ restitutionem fieri, si dolus aliquis subsit. Aliud enim est conferentem esse in ea dispositione, quod si sciret causam, propter quam confert, non subsistere, non conferret, & aliud quod si sciret causam non subsistere, vellet collationem nullam esse. *Carpzov. Jurispr. for. part 3. Const. 13. def. 27. p. 1040.* B. Lutheri verba laudat M. Conrad Porta Pastorali fol. 454. b. Man soll acht haben auff der Stiffter (solcher Güter) Willen und Meinung / welche je nicht anders gewesen / denn daß sie zu Gottes Dienst und Ehre solche Güter haben wollen geben / ob sie nun nicht recht angetroffen haben / ist doch ihrem Willen und Meinung nach hierinn zu richten / daß man sie noch zum Gottesdienst und Ehre gebrauche / als da sind Pfarherrn / Schulen / und was mehr zum Gottesdienst gehöret. Item *fol. 454. & 464. Et in Agenda Julia p. 260. 261.* Denn weil obgemeldte Stifftung / Gefell und Einkommen zu der Kirch (umb Verrichtung

Gottes-

Gotteswerck und Sachen/ inmassen man damahls dafür gehalten) ergeben/ soll dasselbe nach erkandter Warheit billig der Kirchen und derselben Christlichen Ministerien anhangen.

IX.

Cum vero sola bona intentio non sufficiat in rebus ad cultum Dei spectantibus, num sola ejusmodi bona intentio sufficere potest, ut bona illa sacra & irrevocabilia ac invendibilia sint?

℟. Etiamsi ut in aliis, ita & in actibus indifferentibus [qualis est actus dandi seu concedendi, promittendi] ad bonitatem moralem eorum non sufficiat bona intentio, sed & aliæ circumstantiæ concurrere debeant: tamen sicuti in ejusmodi actibus indifferentibus sola intentio essentiam & speciem moralibus actibus dat, sic & sola intentio principalis in donationibus ejusmodi bonorum ad divinum cultum factis essentiam illis tribuit, atque invendibilitatem, quia faci,tut sint bona sacra seu cultui divino dicata adeoque irrevocabilia & invendibilia, Quemadmodum & vota non infirmat error circa qualitatem quæ impulsiva seu minus principalis causa finalis tantum fuit, id est, quæ voventem alacrem tantum reddidit ad votum. E. G. Pauperi in honorem Dei eleemosynam aut Presbytero aut Ludimagistro quis stipendium promisit, quia probos ilios existimavit & catholicos, propterea eo libentius id promisit. Quia tamen principali-

ter intendit honorem Dei Ecclesiæque ædificationem: etiamsi in minus principali isto fine erraverit, tamen votũ & promissio illa sacra & Deo, cui facta, in Ecclesiæ suæ ædificationem servanda est, nec Ecclesiæ alienari aut vendi & emi, quod sit res Deo promissa, potest. Hoc efficit intentio illa principalis, non obstante eo, quod ad actionis istius bonitatem plures concurrant circumstantiæ.

X.

Num Canonici solum horas canonicas observando, etiamsi aliàs Ecclesiæ nullas operas præstent, tamen beneficiorum sacrorum sunt capaces?

℞. NEgando: non enim solum orandum, sed & laborandum nobis omnibus est. Hoc & Canonicatuum veteres requirunt fundationes, ut Canonici in schola illa cathedrali seu in Ecclesia docendo & discendo aut sacramenta administrando aliove modo simili Ecclesiæ inservirent. Sicuti itaque in votis, ita & hæc in genere nulli magistratui dispensandi competit potestas, nulli etiam hominum, etiamsi ditissimus sit, licitum est otiando tempus terere, sed quilibet in suo statu semper orare, & simul aliquid honesti agere debet, si salvus esse velit. *II. Thess. III. 6. seqq.* Quare & Nobiles, Patricii, aliive ditissimi, si tantum voluptates corporis aut curiosas res, lusus nempe & spectacula sectentur, nec familiam gubernando & ad honestatem informando aliove modo proximo consu-

consulendo & serviendo tempus transigant, Deo placere non possunt.

X I.

Num si Canonicus præter preces S. scripturam aut Homilias quasdam legat, aliisve prælegat, aut prælegenti auscultet, hoc ipso munus Canonici satis explevit?

℞. NEg. Hoc enim non est docere, nisi ea quæ legeris, interpreteris, & potens sis aut reddaris ad docendum, exhortandum & refutandum. *Tit. I. v. 9.* Etsi vero Canonici omnes non concionentur aut Theologiam doceant, sufficit tamen si aliquam partem muneris istius quilibet eorum peragat, qua Ecclesiæ directè ad animarum salutem commodetur: si nempe vel Historiam Ecclesiasticam illustret, vel literaturam Græcam aut Hebraicam ad Scripturam intelligendam vel casus conscientiæ, vel locos theologicos tractet, ut aliquando Pastoris aut Catechetæ munere fungi possit.

X I I.

Num per Vicarium Canonicus docere & sic beneficio frui potest?

℞. NEg. Qui enim alium constituit ut doceat, ipse non docet, nec mercedem aut stipendium laboris recte capere potest, qui ipse non laborat.

XIII.

Num qui exemplo piæ vitæ alios docet, etsi politicus sit, propterea recte beneficio ejusmodi ecclesiastico frui potest?

℞. NEgando: Id enim omnibus incumbit Christianis, neque hoc ipso mereri quisquam aliquid de bonis ecclesiasticis potest, nisi Ecclesiæ laborem quendam præstet.

X I V.

Num si Canonicus aliquid de reditibus suis dedicat annuatim, & in usus pios vel Pastorum vel Ludimoderatorum vel pauperum convertat, etiamsi aliás nihil sacri operis præstet in usum Ecclesiæ, reliqua parte beneficii Ecclesiastici bona conscientia frui potest?

℞. NEg. Nam omnes Christiani pro modo facultatum suarum partim in Pastores & Ludimagistros, partim in pauperes benefici esse debent. *Ephes. VI.* Beneficia etiam Canonicorum, quæ tota personis ecclesiasticis & scholasticis actu munus sacrum in Ecclesia vel Schola peragentibus sunt dicata, non possunt nec ex parte ab illo percipi, qui munere isto non fungitur. Quod si igitur à Canonicorum Collegiis Pastor unus aut alter alitur, qui ad plebem peroret, & præceptor unus vel duo, qui pueros rudimentis pietatis & literarum imbuant, id mensuram tanti nominis & totorum collegiorum istorum non implet, cum passim sive cives sive rustici ad Pastoris & Ludimagistri sustentationem sumtus conferant.

X V.

Si vero Canonici tanquam Consiliarii ecclesiastici aut inspectores Ecclesiarum & Scholarum, tantum consilio suo aut examine ministrorum constituendorum aut visitatione Ecclesiarum & Scholarum, aut compositione litium in causis Ecclesiasticis Ecclesiæ inserviant, num hoc modo beneficiis sacris recte fruuntur?

℟. OMnino: Sunt enim distinctiones donorum & officiorum sacrorum, & sub initium Ecclesiæ jam fuerunt κυβερνῆται *1. Cor. 12. v. 28. Rom. 8. 12.* (Locum *1. Timoth. 5. 17.* quidam hic citant, sed ibi non distinguit S. Paulus inter Gubernatores & Pastores Ecclesiæ: per Præsides enim Pastores intelligit, & quosdam ex illis ait κοπιῶντας i. e. magno præ ceteris labore & diligētia ac sudore verbū docentes & adhortantes] De ista gubernatione Ecclesiæ *Origenes scribit Homil. 7. Nos qui in Clericorum ordine votis præsidemus, sedebamus in agmine Presbyterorum seu Seniorum, qui Ecclesiam in commune regerent. Item Cyprian. Epist. 3. & 31. Collatione cum Episcopo & fraternitate facta presbyteri decernebant. Commentarius Ambrosio tributus in 1. Tim. 5. 1. Ecclesia Seniores habuit, quorum sine consilio nihil agebatur in Ecclesia.* Augustini item ætate Seniores Laici disciplinæ publicæ in Africa præfuerunt. *Serm. 19. de Verb. D.* Idem epistolam scripsit ad Clerum, Seniores & plebem Ecclesiæ Hipponensis. Vide & *Greg. M. lib. 2. Epist. 19.*

X V I.

Num Ædiles sacri seu Curatores Ecclesiæ seu Oeconomi seu Diaconi & Eleemosynarii i. e. Provisores & Curatores pauperum de bonis illis ecclesiasticis aliquid recte accipiunt?

℟. Aff. Uti enim tutoribus ac curatoribus pro labore de bonis pupillorum jure aliquid datur, si pupilli sint fortunatiores seu ditiores, ita quoque Ecclesiastici illi

tutores

tutores merito pro cura & labore,quem Ecclesiæ & pauperibus impendunt, aliquid accipiunt. Aliàs uti jure civili exigente tenuioris fortunæ pupillis tutores gratis ex caritate christiana inservire tenentur, ita idem isto casu de ecclesiasticis illis curatoribus dicendum est.

XVII.

Num beneficia, quæ dicuntur simplicia seu non curata, recte secularis homo percipit?

℞. NEG. Illa enim nihilominus illis qui Ecclesiæ inserviunt & ministrant, olim sunt dicata, sc. Missas aut Sacramenta administrando. Si quis dicat, dari beneficia, quibus nullum beneficium sit annexum, nempe quæ cum titulo Commendæ, seu Præbendæ, aut Pensionis tantummodo in sustentationem personæ concedantur; *Toletus lib. 5. cap. 76. p 515. Summæ*: Respondeo, Præbendam dari, ut Toletus dicit, homini seculari non quidem ob tale officium, sed quia vel bene meritus sit de Ecclesia, vel quia in temporalibus serviat Ecclesiæ, vel ob paupertatem aliamve honestam causam: nempe uti operariis seu mercenariis aut opificibus, &c. Architectis, Fenestrariis, Automatariis, ita & Politicis recte in compensationem laboris aliquid de bonis ecclesiasticis præbetur aut datur. Unde Advocato jure præmium pro labore, quem in causa quadam Ecclesiæ exantlavit, inde conceditur: inde vero non sequitur, recte beneficia sacra capere illos, qui ad istum modum laborem Ecclesiæ non præstant, neve sacro munere funguntur.

Si vero

XVIII.

Si vero Canonicus Episcopo aut Episcopatui in seculari regimine ministret, num propterea recte beneficio canonicatus seu sacerdotali aut scholastico fruitur, etiamsi sacerdotis aut scholastici doctoris officio non fungatur, nec fungi possit?

℞. REgimini quidem isti gerendo Episcopo suppetunt abunde alia bona, ut ex illis personæ illæ, quatenus isti regimi cooperantur, sustentari, nec bona sacerdotalia aut scholastica [qualia præsuppono esse veteres illos Canonicatus] in eum finem converti debeant.

XIX.

Si autem Ministri Ecclesiæ nimium pinguescant, seu nimiopere bonis sacris abundent, ut propterea officium negligant, & luxu diffluant, num ea de causa Respublica bona quædam illis adimere & in secularem usum transferre recte potest?

℞. SI nimia sit illa bonorum sacrorum abundantia: e. c. Si Parochia integrum quoque Comitatum habeat, id quidem Ecclesiæ noxium est, quod Parochi animum à curis & studiis sacris ad seculares, imo & ad luxum pertrahat & abripiat, itaque minui recte potest à Republica isto quidem casu ista abundantia. Verum hodie cum tot paroeciæ & scholæ pauperes & egenæ sint, bona ista cœnobiorum & collegiorum canonicorum ad honestam & decentem ministrorum sustentationem illis si applicarentur, si item, postquam ministris Ecclesiarum & scholarum ita de bonis illis provisum esset, pauperibus Theologiæ studiosis sumtus studiorum suppeditarentur, & deinde aliis pauperibus darentur, tum nil prorsus de illis abundaret &

ſupereſſet. Non minus noxia eſt Reipubl. & Eccleſiæ miniſtrorum Eccleſiæ paupertas, quod per illam non tantum ſacrum vileſcat officium, ſed & ob defectum mediorum ſive vitæ, ſive ſtatus ſacræ functiones & actiones præpediantur aut retardentur, animuſque deprimatur. Chriſti ſpontanea paupertas in exemplum hic allegari nequit, quod Dominus ad opus redemptionis peragendum non tantum pauper eſſe, ſed & ſe ipſum in mortem tradere voluerit: habebat enim jus vitæ & necis, ut in omnes ita & in ſuum corpus, quod hominum habet nemo: quamvis non eſſet tam egenus, quo minus decenter tanquam Propheta & Doctor magnus inter homines converſaretur, etiam de facultatibus ſuis multis fœminis ditioribus ipſi miniſtrantibus, *Luc. 8. v. 3.* Unde & effecit, ut Diſcipuli prædicantes nulla re neceſſaria indiguerint, *Luc. 22. 35.* Qua ratione & poſtea Apoſtolis eorumque cooperariis & ſucceſſoribus fidelium beneficentiâ vitæ neceſſaria, juxta Domini verbum abunde ſuppeditavit, *Act. 4. 34.* Neque enim quiſque egens erat illorum. *Vide & 1. Cor. 9. 4. ſeqq.* ubi tradit S. Paulus, jure poſſe Preſbyterum ſeu Doctorem Eccleſiæ tantum ab Eccleſia exigere ſtipendium, unde ſe ſuamque familiam honeſtè poſſit alere & ſuſtentare: *Nonne poteſtatem*, inquit, *habemus, ſororem (uxorem) circumducendi, quemadmodum & ceteri Apoſtoli?* Ne igitur vitæ ægerrime tolerandæ quaſi bubulci ſint, ſtatui ſeu officio ſacro honeſtè ac decenter gerendo, ſuiſque providendo neceſſaria Eccleſiæ Scholarumque miniſtris debentur. Etſi multum forte nihilominus alicui Parœciæ aliive officio ſuperſit, id tamen non ad prophanos ſed itidem pios uſus convertendum eſt.

Num

X X.

Num Simonia est, si honorarium aliquis det pro beneficio ecclesiastico?

℞. SI hoc pacto conferatur beneficium, seu si in pactum honorarium illud deducatur, Simonia est. Aliàs ad benevolentiam Patroni captandam aut animum ejus sibi conciliandum si majora dentur & accipiantur dona, Simoniæ vitium quidem non est, quod tanquam pretium cum re spirituali sic ista dona non permutentur, speciem tamen mali & vitium in se quoddam habet: nam quemadmodum ante latam sententiam si dentur seu exhibeantur animo in partem suam Judicem inclinandi, Judici dona accipere non licet, ita nec hic Patronum à libera & dignioris electione donis avertere licet, intentio vero donantis si sit, sibi illum dono isto obligare, atque hic eo nomine donum accipiendo illud approbet, seque hoc ipso tacitè ei ad gratitudinem obstringat, Simoniæ quædam species est.

X X I.

Num Simonia est, in gratiam alterius resignare beneficium, ea conditione, ut is qui ad successionem admittitur, resignanti pro resignatione honorarium exsolvat?

℞. Affirm. Sic enim pro beneficio sacro res temporalis ex pacto datur, & Patrono libera potestas alium eligendi adimitur, eaque ratione interdum & minus dignus aut indignus surrogaretur.

X X I I.

Num si ad fabricam aut sustentationem & subventionem Ministrorum præsentandus aliquid dare teneatur, consvetudo est legitima seu rationabilis?

℞. SIcuti Fundatoris voluntas, nisi necessitas Ecclesiæ id

 exigat,

exigat, mutari non debet, nec de reditibus parochialibus aliis præterquam illi, qui ad parœciam illam, cui antiquitus bona & reditus sunt tributa, præsentatur & ordinatur, attribuere licet, sic nec juri & rectæ rationi ista consvetudo est conformis, qua præsentandus aliquem notabilem partem redituum sibi aliàs ob laborem in officio præstandum exsolvendorum, sive fabricæ sive aliis ministris nulla necessitate id exigente velut in antecessum solvere teneatur. Unum enim altare non est neque ex parte neque ex toto denudandum, ut alterum vestiatur, una parœcia non est reditibus suis nec ex parte privanda, ut alteri commodetur. Si verò expresse in ipsa fundatione id ita cum consensu Episcopi sit constitutum, tum licet: uti si tanquam reservatum cum consensu Episcopi ab antiquo semper aliquid Patrono datum sit, vel fundatio expresse id exigat, tum jure illud Patronus accipere potest. *D. weber. de jur. Patron. p. 61. Binnius Disputat. de Jur. Patron.* Ita Sacerdotes Vet. Testam. à Levitis decimas, & in veteri Ecclesia Episcopi ab inferioribus beneficiis aliquid ad decentem officii sui administrationem accipiebant.

XXIII.

Num sub conditione certæ personæ in matrimonium ducendæ licet parœciam seu beneficium ecclesiasticum conferre?

℞. NEg. quia Christus hanc conditionem non addidit Ministerio sacro; Ergo Ecclesiæ non licet, cum pacto hujus obsequii id cuiquam conferre. Si item Papistæ necessitatem cælibatus officio Clericali perperam imponunt, male quoque necessitas matrimonii eidem & quidem cum certa persona in nostris Ecclesiis quibusdam imponitur.

ponitur. In gratiam quoque fœminarum hac ratione indigni facile ad officium illud promoventur, indignam itidem & rixarum feracem sæpe si promoveri velint, ducere coguntur. Ita sentit *D. weber. de Jur. Patron. p. 157.*

X X I V.

Num pro redimenda vexa aliquid dare hic licet?

℟. Affirm. Quemadmodum enim is, qui latroni magnam pecuniæ summam, ne se interimat, promittit, aut dat, vitam suam in se invendibilem hoc ipso non emit aut redimit, sic ne is, qui jam Jus ad parœciam consecutus est, uti si jam est illa legitimè promissa, hoc ipso sacram istam rem emit, cum dat aliquid homini iniquó, qui per injuriam velit & possit illum jure illo quæsito privare. In magna vero nessitàte, *si ope Magistratus*, sicuti Parochus parœciam jam possidens, ita & iste ejus candidatus contra injuriam istam se tueri potest, pecunia alia vere illam avertere non licet. Eadem ratione contra naturæ legem non peccatur, si etiam illi, qui injuste in beneficio consequendo quenquam impedire velit & possit eo fine, ut impedimentum tollat, non autem ut via & jus pecunia acquiratur ad spirituale beneficium, aliquid detur. Etsi recte jure canonico id prohibitum sit: nec id liceat, si, sicut dixi, eum in finem præmium alter ille petat, ut ei aditum ad parœciam paret, item si aliàs impedimentum illud tollere possit, aut alias promoveri postea seu alio modo se sustentare possit.

XXV.

Num Evangelici sub Magistratu Pontificio, si candidati Ministerii nulla alia ratione à Patronis Pontificiis parœcias evangelicas consequi possint, nisi certam summam pecuniæ numerent sive Magistratui sive Patronis istis, id faciendo peccant?

℟. NOn videntur integræ Ecclesiæ peccare, quæ jus habent in genere ad parœcias, quia sic jus illud non emitur, sed ne Evangelicis adimatur aut in illo impediantur in maxima Ecclesiæ necessitate, ne scilicet illa prædicatoribus verbi divini careat, pecunia ista exponitur. Uti Turcæ Patriarcha Constantinopolitanus constituendus, sicuti memoratur, de bonis Ecclesiæ magnam vim pecuniæ dare tenetur, ne à munere isto ecclesiastico arceatur. Privati vero, quia jus ad hanc vel illam parœciam non habent, nec pecunia aliave re temporali illud parare sibi possunt sub Magistratu Papistico.

XXVI.

Si quis vero non patrono ipsi, sed ejus amicis aut ministris aliquid det pro officio intercedendi, num hoc ipso delinquit?

℟. Affirm. Si enim officium & beneficium sacrum in se est invendibile, adeoque nullus actus, quo illud acquiritur, pretio aliquo æstimari potest, utique nec ille actus intercedendi aut rogandi, quo à Patrono ejus collatio impetratur, pro pecunia aliave re temporali fieri debet. Si item ipse actus conferendi aut præsentandi non est vendibilis, multo minus actus intercedendi aut rogandi Patronum talis est. Uterque tendit & terminatur ad rem sacram in se invendibilem. Uti preces, quibus pauperi à divite eleemosyna impetratur, æque atque ipsa largitio

elee-

eleemosynæ utpote liberalitatis & misericordiæ opus sunt invendibiles: ex objecto enim suo formali nempe miseria proximi propter Deum sublevanda, & ille actus intercedendi sortitur speciem seu naturam suam, ut sit actus misericordiæ adeoque invendibilis, ita & ille actus rogandi patronum pro digno aliquo ex objecto suo formali nempe ad Dei honorem animarumque salutem huic digno, qui studio assiduo m orumque pietate ad sacrum munus se pararit, parœciam conferendi sortitur speciem seu naturam suam, ut sit actus virtutis religionis adeoq; in se invendibilis.

XXVII.

Licetne vero ei dare saltim ut taceat?

℟. Neque nisi in magna necessitate amico Patroni saltim ut taceat, seu non impediat consecutionem præsentationis, licet aliquid dare, quia ex caritate jam ante ille ad id obligatus est, ne scil. sine justa causa alicujus promotionem impediat. Ad quod vero quis sive ex caritate, sive ex justitia obligatus est, id ipsum pretio vendere seu pro pecunia facere seu omittere nefas est.

XXVIII.

Si quis certum beneficium sacrum nondum vacans alicui promiserit, num hoc ipso jus ille ad illud consecutus est?

℟. Neg. Patronus enim, antequam vacet beneficium, jus illud alicui promittendi seu conferendi nullum habet. Non tantum communi jure, sed & Recessibus provincialibus Hannoveranis anni 1639. id prohibitum, sancitumq; est, talem à Consistorio ad parœciam admittendum non esse. Quod autem quis non habet, illud alteri dare aut promittere valide non potest.

Num

XXIX.

Num vero tali pro redimenda vexa, nescil. promissionem illam postea vacante beneficio retractet, aliquid dare licet?

℞. NEg. quia nullum jus priori illa promissione acquisivit, nec pro nova sine Simoniæ vitio aliquid dare potest. Imo nec dare ei quicquam licet, propterea ne validam etiam promissionem retractet, nisi necessitate gravissima, ut supra quæstione 24. dictum est, prematur: quod pro redimenda ejusmodi vexa extra casum summæ necessitatis aliquid dare nihil aliud sit, quam illius peccato formaliter cooperari. e. g. Si pastor aliquis avarus forte alicujus ægrum & in vitæ periculo constitutum infantem non nisi pro certa pecuniæ summa [quæ ipsi præter accidens consvetum, quod tanquam salarii partem accepit, non debetur) baptizare nolit, dare ei parens illam non debet, nisi in summa necesſitate, quando videlicet alius Pastor aut Laicus, parente itidem ægro, qui baptizet, statim in isto periculo haberi non posſit.

XXX,

Si vero competitoris parentes aut consanguinei ipsi primum inscio à Patrono beneficium sacrum emerint, num postea, ubi is id rescivit, præsentationem ejusmodi Simoniacam acceptare recte potest?

℞. NEg. non enim alieno peccato licet communicare. *1. Tim. 5. 22.* Uti si filio parens e. g. vestem sacram sacrilegio quodam comparaverit, in peccato istius filius fit particeps, si sciens istam vestem á venditore oblatam acceptet, eaque se indui petat aut permittat.

FINIS.